



HAtugatus Saxo ab ineunte ætate militiæ operam dedit, atq; hinc inde castra sūræ gentis frequētando ob rei bellicæ peritiam sibi magnam authoritatem comparauit. Accidit autem circa annum Christi quingētesimum uicesimum, ut Franci cum Thuringis grauisimum bellū suscepissent. Cum autem Theodoricus Francorū rex ob Irmenfridi uirtutem Thuringos debellare non posset, Saxones Thuringorum hostes in bellī societatem pertraxit, atq; ipliis hoste uicto Thuringorum terras promisit. Cū Saxones adessent, Franci præstantes corpore & animo uiros, diffusam scapulis cæsariem, & arma noua mirati sunt. Erant uestiti sa-
gis, & longis lanceis armati, stabant paruis scutis subnixi, atq; ad renes pugio-
nes habebant. Tum quidam ex Franci dicebant, tantis amicis Francos non
indigere, esse enim genus indomitum, & si præsentem terram possideret, eos
procul dubio esse qui tandem Francorum potentiam destructuri essent. Id
quod postea sub Ottonibus euenit. Cum autem postea Theodoricus & Ir-
menfridus inscijs Saxonibus fœdus inire, ac Saxones ea terra ejscere consti-
tuissent, Saxones indicio Thuringi cuiusdam, cui captum forte accipitrem re-
stituerant, id quod futurum erat commodè perceperunt. Erat tum in Saxonum
castris Hatigatus miles ueteranus, sed uirilis adhuc senecta uigēs, qui me-
ritò patriæ pater dicebatur. Is uexillum arripiens, quod apud eos habebatur,
sacrum Leonis & Draconis, & desuper uolantis aquilæ effigie insignitum. Is
dicebat: Hactenus commilitones Saxones nūquam fugere uidi, quid autem
nunc futurum sit ignoro. Ego quidem certare didici, & artem fugiendi hacte-
nus ignorauit. Itaq; statui hodie quoq; maiorum uestigia sequi, & hostem, an-
tequam pacis articuli finiantur, aggredi. præsertim cum is de promisso fœde-
re securus in utranc; aurem dormiat, & prælio hodierno fatigatus nil tale su-
spicetur. quod si itaq; uestrum aliqui sint, quibus uirtus cordi est, me ducem
sequantur. Hoc enim canum caput uobis deuoueo, si nō insignem uictoriā
impetrauerimus. Eo dīcto statim alij adsunt, & læto animo in hostem ferun-
tur, idq; prima noctis uigilia. Ibi murum sine custode uacuum superant, in ur-
bem penetrant, & Thuringis occisis uictoriā memorabilem acquirunt. Po-
stea ad Theodoricum in castra reuersi, ab eo laudati, & Thuringorum ditio-
ne (iuxta aliquos) in æternam possessionem donati sunt. Itaq; eam urbē cum
adiacenti terra sorte distributam, Saxones tum primū Hatigati uirtute in-
habitare cœperunt. partem uero Thuringorum, quos hostilis turbo non teti-
gerat, ad Septentrionem sibi benevolentia coniunxerunt, ac cum ijs pacem
& fœdera inierunt. Vrsperg. in Orig. Sax. Verūm Albertus Crantzius
hanc de Saxonibus accessionem non immeritò confutat, atque
eos in Germania multò antiquiores, adeoq; indigenas
fuisse docet.